

SUPPLICATIO PRO SUBSIDIO AD RECUPERANDA
MONASTERIA HUNGARICA. — 1688. -:- -:-

Circa secundam medietatem saeculi XVII magni conatus adhibiti sunt ad restaurandam religionem catholicam illis in partibus regni Hungarici ubi invasio dominatioque Turcarum tantas congegessit ruinas. Cum plura monasteria Ordinis Praemonstratensis diruta essent, deficerentque opes ad illa denuo reaedificanda restaurandaque, ad partes Brabanticas directae sunt epistolae ab Amplissimo Domino abbate Strahoviensi, qui illis in regionibus vicarii generalis munus potiebatur, ut adjutrices manus inveniret ad illum scopum. En exemplar epistolae ad Amplissimum Dominum Tongerloënsem.

Tongerloo.

A. ERENS O. Praem.

Reverendissime ac Amplissime Domine Confrater honorandissime,

Pietas erga sacrum Ordinem nostrum urget me ut tanto confidentius opem Reverendissimae Dominationis Vestrae implorem et assistentiam efflagitem, quanto ad promovendum commune Ordinis bonum proniorem eandem Reverendissimam Dominationem vestram recognosco. Deo namque feliciter aspirante et victricibus sacrae Caesareae Majestatis armis res in regno Hungariae eo tandem deductae sunt, ut monasteria illa et religiosorum bona, quae hactenus ab immanissimo christianitatis hoste violenter usurpata, vel ab extraneis detenta fuerant, ad legitimos possessores suos quasi jure postliminii redire incipiant, ipsius Sac. Caes. Majestatis clementissima gratia et pietate adnitente, modo ad conciliandos vel tranquilandos tum procerum gentis Hungaricae, tum detinentium hucusque animos, vel etiam ab Regiae Camerae Expeditiones necessarias quidpiam offeratur quod aliqualis refusionis nomen mereri posset; prout in hunc effectum diversae religiones omnem operam et opes reapse conferunt, ut avitam Patrum et antecessorum suorum haereditatem e manibus alienorum extorqueant. Contulit quoque in hunc finem Circaria Bohemiae cum provinciis incorporatis de facultatibus monasteriorum suorum non contemnendam summam, eo pronius quod ipsa Sac. Caes. Majestas in proximiori habita audientia clementissimos favores et operam suam in puncto recuperationis monasteriorum Ordinis nostri intra Hungariam in verbo principis mihi adpromiserit, quin et in antecessum tanti operis actualiter in proxima dieta regni Hungariae effectum sit, ut Status

regni jus incolatus intra Hungariam denuo Ordini nostro assere-
rent, insuper super collatione et cessione unius aut alterius mona-
sterii tractatus jam jam inchoati sint ; quia tamen sola Circaria
nostra ultiores necessarios sumptus ob immodicas tam communes
quam extraordinarias exactiones in subsidium belli Turcici per
quinquennium praesitas, superaddere non valet, verendum sane est
ne cum gemitu et religionis Praemonstratensis aeterna ignominia
auctores imperfecto operis manere debeamus.

Repraesentavi quidem per repetitas literas Ill.mo Patri generali
quantus accessus gloriae et communis incrementi ex hujusmodi
recuperationis opere toti sacro Ordini (qui prope quinquaginta in-
signiter dotatas praeposituras in Hungaria repetendas habet) spe-
randus sit ; e contra quanta confusio maneat, si occasiones tam
exoptatas pro praesentis temporis et rerum statu et nusquam redi-
turas, desidia vel tenacitate aliqua elabi sinamus, suggerens eidem
et supplicans pro suo in sacrum Ordinem zelo et munere, circarias
suae fidei commissas interposita autoritate ad aliquod liberale
subsidium in tam gloriosi operis perfectionem disponere dignetur,
sed nescio qua de causa hucusque nec literulam pro responso accepi.

Proinde fiduciam meam in zelo et pietate Reverendissimae ac
Amplissimae Dominationis Vestrae Reverendissimorumque com-
provincialium Praelatorum ac Conventuum colloco, supplexque meo
et totius Circariae nostrae nomine eorundem munificentiam in tam
importanti negotio affectu et reverentia qua possum imploro ; non
sinant haereditatem tam pretiosam Sanctissimi Patriarchae Nor-
berti et candidae religionis intra amplissimum Hungariae regnum
hac vice negligi vel etiam per alias religiones aut episcoporum po-
tentiam absorberi, sed potius liberali quo possunt subsidio in opus
tam sanctum et gloriosum festinare non gravantur, recepturi a Deo
per merita et intercessionem S.mi Patris nostri et beatorum Ordinis
in coelis regnantium ampliorem benedictionem.

Nos vero adeo sibi devincient, ut beneficia hac in parte collata
memori mente aeternum condentes, pro cujusque casus contingen-
tia ad sublevandas necessitates ipsorum promptissime reciproca
liberalitate concurramus, porro ipsa recuperata monasteria aliquan-
do refundant cum submissimis gratiis et copioso fœnore. Dum ego
cum Dominis Comprovincialibus meis manebo, etiam cum onere
reddendarum rationum super expensa subsidia,

Reverendissimae ac Ampl. Dominationis Vestrae
obsequiosus Confrater et Servus
fr. Hyacinthus Abbas Strahoviensis

hic et per Bohemiam ac caeteras haereditarias
suae Imperatoris
provincias Vicarii generalis.

Pragae 17. Julii 1688.

Ex archivo abbatiae de Tongerlo : *Ordo in genere.*

* * *

RELATIO VISITATIONIS APOSTOLICAE
MONASTERII KNECHTSTEDENSIS. — 1617.

L'Histoire des Papes de Pastor au tome XII ¹⁾ nous donne le tableau du renouveau catholique dans la Rhénanie, sous l'impulsion du nonce Antonio Albergati. Le document que nous publions ici se rapporte à l'action entreprise par ce nonce en faveur de la restauration monastique en corrélation avec l'application du Concile de Trente.

Tongerloo.

A. ERENS O. Praem.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Cum serenissimus ac Reverendissimus Princeps ac Dominus D. Ferdinandus, sanctae Coloniensis ecclesiae electus et confirmatus Archiepiscopus, Sacri Romani Imp. per Italiam Archicancellarius ac princeps elector, S. Princeps ac Dominus noster clementissimus ; item Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus D. Antonius Albergatus Episcopus Vigiliarum sanctissimi Domini nostri Pauli papae V ac sedis apostolicae ad partes Inferioris Germaniae et per tractum Rheni cum potestate legati de latere nuntius, nobis infrascriptis commissariis seu visitatoribus clementissime et serio commisissent ac mandassent, celebre monasterium Ordinis Praemonstratensis et archidioceseos Coloniensis in Knechtsteden visitare, reformare eaque omnia statuere, ordinare et facere quod praesens monasterii status postulare videbitur, quaeque ipsi antememorati Domini committentes si praesentes essent statuere, ordinare et facere possent.

Putavimus tam seriae et salutari antememorum dominorum commissioni, pro ea quam debemus subiectione et obedientia, perquam reverenter esse parendum. Venimusque anno a Christo nato

1) *Geschichte der Päpste*, t. XII, p. 550 et suiv. Freiburg i. Br. 1927.